

se, absolute et infallibiliter, quae raro fiunt, et pure casualia, de quo vid. *Rudrauff*. l. c. p. 919.

## Thes. XVI.

Non tamen sibi tantum norunt Angeli, sed aliis etiam, quorum notitiam habent, notificare possunt, hinc lingua metapho-  
rice ipsis attribuitur 1. Cor. XIII, 1. qua loquuntur sibi inuicem, et conceptus mentis suae mutuo sibi impertiunt atque manife-  
stant, conf. Exercitatio Philolog. *M. Siricii* de Angelorum lin-  
guis ex 1. Cor. XII, Vittenbergae 1683. habita. Quod autem  
Angeli ita suo inter se loquantur modo, de eo sana ratio haud vi-  
detur posse dubitare, cum homines loquantur, quos tamen in-  
ferioris esse conditionis, vulgo statuitur, quod urget *Scheiblerus*  
Oper. Metaph. l. c. p. 214. Praeprimis vero ex Scriptura S. Esa.  
VI, 3. Dan. VIII, 15. C. IX, 12. seq. satis constat. Atque adeo  
non tam de Angelorum locutione, quam de modo eiusdem sol-  
liciti sunt Scholastici. Hic enim uti obscurissimus est, *Suarezio*  
aliisque fatentibus, ita de eo determinando non exigua dissen-  
sientium est copia. Varias autem eorum sententias adductas vide  
apud *Dn. Ioh. Schützen* in Apparatu Biblico Tom. I. p. 205.  
et seqq. Quicquid autem huius rei sit, in eo tamen plurimi  
conueniunt, quod pro diuersitate obiectorum diuersimode lo-  
quantur, aliter scilicet ad DEUM, aliter ad se inuicem, et aliter  
ad homines, conf. *M. Christian. Gödicke* Diff. ante cit. de praero-  
gatiua Angeli et animae rationalis C. I. §. 13. add. *D. Alberti*  
Diff. de Locut. Angel. Licet praecise modus, quomodo ista lo-  
cutio, unius praesertim Angeli, ad alium fiat, hominibus non  
liqueat, vid. *Rudrauff*. Institut. Metaph. p. 933. seqq. et cum eo  
*B. Scherzer*. System. Theol. p. 99.

## Thes. XVII.

Intellectus vero, iudice saepe citato *Dn. D. Buddeo* in  
Elementis Philos. Theoret. l. c. §. XI. p. 332. cum sit voluntatis  
gratia, ita haec quin Angelis etiam competat, non est, quod  
dubitemus. Id quoque testantur tot Scripturae S. assertiones,